

corde, sede affectuum, quod in latitia A dilatatur, in miseratione incalescit concursu spirituum & sanguinis à כמר reuolueri, incalescere. כמר dicitur sacerdos idolorum. Inde Hebræi monachos nostros vocant כמרים vt Hof. capit. decimo, versic. quinto. *Lugebunt super Bethauen כמריו*. Fletus locum quæri in cubili: ne סופריו prodat, quia tempus se reuelandi nec dum aderat:

*Quo quisq; est maior magis est placabilis ira,
Et faciles motus mens generosa capit.*

32. APPONITE PANEM. Sexta circumstantia: conuiuii descriptio. Primum accubitus, modus & eius ratio: Deinde tractatio, distributio epularum: demum hilaritas. Panem, hoc est, cibum: Hebraismus. Ioseph solus, Ægyptii soli, fratres soli & quidem iuxta ætatis ordinem discumbunt: siue Iosephi iussu, vnde mirati dicuntur fratres, vnde illi de singulorum ætate constaret, ac volunt Hebræi, eum pulsu scyphi diuinationem simulasse de singulis, siue ex suo more, vnde mirati dicuntur vini Ægypti. Sed prius malo, quia האנשים aliquoties de fratribus præcessit. Ratio autem, cur nec Ægyptii nec Ioseph pro

Ægyptio se gerens discumbant cum Hebræis, additur, ex more: *Ægyptii enim non possunt comedere cum Hebræis*, hoc est, religione prohibentur: EST ABOMINATIO. id est, abhorrent id facere quasi grande piaculum. Tanta erat gentis superbia, vt in religione sua sibi placerent, quasi soli sancti, gentes alias omnes superciliose, quasi impuras contemntes, Hebræos præsertim, eo quod mactarent, offerrent, ederent pecudes, quas ipsi pro Diis colebant. Hinc vis superstitionis apparet.

34. ET ACCEPTIT PARTES. Iosephi amor erga fratrem germanum. De mensa sua honoris causa mittit epulas hospitibus, Hebræis ex ordine, sed quintuplo plus aliis mittit Beniamini. Quid hoc, nisi quod tecte sibi & fratri gratulabatur?

ET INEBRIATI SVNT. Verbum ישרו in bonam & malam partem sumitur. Non putandum est bibisse ad crapulam, sed ad hilaritatem vsque: de qua Psalm. 104. 15. *Vinum letificat cor hominis.* Nil igitur pro ebriosis.

CAPITIS XLIV.

Argumentum, Vfus, Partitio, Analyfis.

Medio hoc capite Hebræi terminant decimam sectionem libri, inchoant vndecimam, ab initiali verbo dictam וציו & appropinquauit: à ver. 18. huius capituli vsq; ad 27. versic. capituli 47. vbi profectio Iacobi in Aegyptum eiusq; proxima occasio, Iosephi manifestatio describitur. Hoc capite præmittitur postremum examen fratrum reliquis durius & periculosius, quo omnes palam furti accusantur: Beniamin in capitis discrimen adducitur. Ioseph enim scyphum in sacco Beniamin recondi iubet, profectos ex vrbe tanquam fures persequitur, Beniamin scypho in sacco eius reperto seruituti addicit, pro quo pathetica oratione intercedens Iudah illum dimitti, se eius loco detineri supplex precatur. Id facit Ioseph non serio quidem vt fratres ludificet aut perdat, sed tum, vt confessionem sceleris denuo eis extorqueat, integritatem eorum amplius exploret, tum vero vt ipsi infamiam ex scelere contractam apud posteros aliqua saltem parte eluant. Præcipue vero fidem eorum erga Beniamin tentat, quid sint eius causa facturi. Sic Deus saepe afflictionibus & cruce nos tentat non vt perdat, sed vt ad penitentiam reuocet atque humiliet, vel certe vt fidem nostram quouis auro probatiorem reddat.

Partes